

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Speculum Quaestionum moralium, in universam Aristotelis philosophi summi Ethicen**

**Case, John**

**Francofurtum, 1597**

**VD16 C 1242**

Cap. VIII. - An vita contemplatiua sit melior actiua? [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-109038](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109038)

Resp.

Quamuis pluribus conuenit voluptas corporis quā  
 mentis, eademq; videtur esse suauior, illis tamen hoc so-  
 lum contingit, qui voluptates mentis non gustarunt.  
 Vt ergo omnes à natura scire desiderant, sciunt tamen  
 pauci quia difficultate sciendi fugiunt: ita omnes expe-  
 rūt delectabilem vitā mentis per pauci tamē consequū-  
 tur, qui laboriosam contemplandi rationem in tenera  
 aetate non didicerunt. At verò qui neclat & ambrosiana  
 voluptatū in vera mentis contemplatione semel per ce-  
 perunt, tanto rapiuntur affectu in bonum, vt semper  
 cū aquilis in altum volantes apertis oculis honorum so-  
 lem videant. Quanta autem sit & quam incredibilis  
 hac delectatio mentis, mente si possis cogita.

Mentis vo-  
 luptates non  
 gustarunt,  
 qui volu-  
 ptates corpo-  
 ris illis an-  
 te ponunt.

CAP. VIII.

An vita contemplatiua sit melior actiua?

An rerū affluentia impediat verè beatos

An deus moraliter agat? An res humanas  
 curet?

An studiosis & beatis delectetur?

**N**imis sollicitus es de tuis reb. Craf-  
 se, quid animi te exerucias? cur  
 nimium te maceras, si minùs prosperè  
 succedant omnia: vitam miseram pro-  
 fectò viuus: Nam audi, Crœsi diuitiæ  
 beatum non faciunt. Si credas philoso-  
 pho hanc vnā sententiam discere. Non  
 in rerum omnium affluentia sufficien-

Diuitiæ be-  
 atum non  
 faciunt.

tia

Virtutem  
exercere po-  
test qui opi-  
bus non af-  
fuit.

Vita con-  
templatiua  
melior est  
actiua.

Rationibus  
confirmat  
theoricam  
actiuae præ-  
stare.

tia posita est, vel iudicium, vel actio: pos-  
sunt enim ij, qui terra marique non impe-  
rant, res magnas & dignitate plenas gere-  
re. Nam cui adsunt modicę & moderatę  
opes, is potest ea efficere & præstare om-  
nia, quę virtuti congruunt. Siquidem  
priuati homines nihilò minùs ac multò  
etiam magis virtutem colunt quam hi  
qui magistratu viuunt: hætenus Arist.  
Ex his videas quò tendit vir sapiēs, eò ni-  
mirum, vt te doceat vitam beatissimam  
nugis & tricis fortunę contemptis viue-  
re. Hanc vitam in simplici & æterna con-  
templatione Dei ponens, cum politica  
hoc loco comparas, eandemq; in finit  
gradibus perfectionis anteponit. Punctis  
agam, & quę in oceanum orationis hinc  
fluere & emanare possunt ad summa ca-  
pita reuocabo. Primum ergò præfert phi-  
losophus vitam theoricam & cõtempla-  
tiua, quia ad diuina per sapientiam so-  
lùm cõtendit: politica verò ad humana  
per prudentiam fertur. Præterea hæc in  
mente reposita tantum excelsa, iæterna,  
& diuina obiecta tractat: illa autem in  
voluntate sita, humana, externa, & mu-  
ta-

tationi subiecta discutit. Deinde hæc, de qua nunc agitur, æterna est: illa verò cum vita hac morali concidit. Porro delectatio contemplationis omnem actionis vitæque actiue voluptatem superat. Adhuc in contemplatiua pauciora quam in actiua desiderantur. Magis enim hæc vita est sufficiens suoq; bonorum cumulo contenta. Adde quod vita theoretica magis per se diligatur, nam ad hanc politica refertur. Insuper hæc vita in maiore animi otio & quiete consistit. Nam vita actiua passionibus subiicitur. Non erras si huc adicias, quòd vita contemplatiua nos Deo similes & amicos faciat: vita autem practica homines hominibus tantum conciliat. Postremò vita contemplatiua in homine est (vt habet Aristot. in textu) ipsum exemplar vitæ & actionis in Deo, qui in æternum viuit & agit: non enim in Endymion in monte Lydiæ dormit, sed vigil & consul ex alto cœlo videt & curat omnia. Deus bone quantum est hoc lumen naturæ in philosopho, qui hæc sapuit quod multi lumine gratiæ illustrati non intelligunt? Infinitum esset, si

Diuina Aristot. sapientia

Vu de

Quaest. 2.  
Externorū  
copia con-  
templantib.  
impedimē-  
to est.

Quaest. 3.

Quaest. 4.  
Deus res hu-  
manas cu-  
rat.

de singulis huius cōparationis gradibus gradatim ac speciatim dicerem. De vno & altero tamen tuā venia pauca subscribam. Docet enim Aristot. in hac cōparatione rerum externarum affluentia aliqua ex parte impedire theoreticē beatos. Sed quid ita quaeso. certē quia à vera cōtemplatione mentem humanam distrahunt: qui enim solliciti sunt de ijs, quae sunt mundi, potiùs centrum deorsum quàm coelum sursum intuentur. Alterū est quod proposuimus. An Deus moraliter agat? Hoc dubium ideo mouetur, quia Aristot. in textu nec iustitię nec fortitudinis, nec magnificentiae officia Deo inesse affirmat, quod quidē verissimum est, si habitus acquisitos istos intelligas. Sunt tamen hęc omnia in summo gradu perfectionis & essentiae Deo attributa in summo gradu perfectionis & essentiae dico, quia secundum Aristot. in metaphisicis nihil in Deo est imperfectū, nihil commutabile, nihil nō simplex aeternum, & essenziale. Item quaeritur: An res humanas curet? curare dicet philosoph. quia diligit. Sed plura de hac re quaestios  
ni.

nibus metaphysicis Deo adiutore dicemus, cum de prouidentia, quæ est veluti singularis rerū omnium directio, ordo, & cura, disputandum erit. Postremum dubium est, An Deus studiosis, & beatis delectetur? Audi quæso de hac re ipsum loquentem Aristot. Vt (inquit) qui que rationem vitæ actionisq; ducem maximè sequitur & colit, estq; optimo animo cõstitutus, ita est ille quidem Deo charissimus. Etenim si Deus res curet humanas (sicut curat profectò) illud quidem est consentaneum, vt illis delectetur qui secundum mentem & sapientiam viuunt, quiq; recte facta sequuntur.

Quæst. 3.  
Optimus  
quisq; Deo  
charissimus.

*Distinctio prima quæstionis.*

Vita cõtemplatiua est præstantior actiua propter.

- Excellentiã subiecti, nempe intellectus in quo reponitur.
- Diuinitatẽ obiecti, nempe Dei, in quo versatur.
- Æternitatem cõtemplatiõis, qua perficitur.
- Simplicitatem delectationis, qua conseruatur.
- Præstantiã dilectationis, qua per se expetitur.
- Constantiam quæ ietis qua fruitur.
- Vacuitatem affectuũ, quibus liberatur.
- Nobilitatem sapientiæ, qua dirigitur.
- Similitudinẽ & charitatem, qua infinito Deo adunitur. Vu 2 Distin-

*Distinctio secunda questionis.*

Affluentia rerum  
verè beatos im-  
pedit, quia

A cōtemplatione rerum externa-  
rum ad res mortales distrahit.  
Affectibus & curis animum huma-  
num distringit.

*Distinctio tertia questionis.*

Virtutes confide-  
rantur, vel

Moraliter, vt industria acquirūtur,  
& sic Deo non insunt.  
Essentialiter, vt natura conueniūt,  
& sic Deus iustè, fortiter & beni-  
gnè agere nobiscum dicitur.

*Distinctio quarta questionis.*

De' curat res  
humanas, quæ  
est erga ho-  
minem

Infinita lenitate, qua diligit  
Infinita sapientia, qua perficit.  
Infinita prouidentia, qua re-  
git.

omnia.

*Distinctio quinta questionis.*

Deus delectari  
beatis dicitur,

Quia vitam mentis, qua similes Deo  
reddimur, viuunt beati.  
Quia sapientiam, quæ in Deo maxi-  
mè cernitur, colunt beati.  
Quia ad Deum, qui verum obiectum  
mentis dicitur tendunt beati.

**Opp. contra primam quæst.**

*Illam vitam est præstatiorem quam homo magis vnitur Deo:  
sed per vitam actiuam homo magis vnitur Deo: ergo vi-  
ta actiua est præstatiorem. Minor probatur, quia charitas  
est virtus voluntatis, non intellectus, quæ Deo summo  
bono adheremus.*

**Resp.**

*Charitas seu amor voluntatis inservit sapientie me-  
tis: hæc enim præscribit vt Domina, illa vt ancilla sequi-  
tur.*

Opp.

Opp.

*Vita actiua fertur in obiectum sub ratione melioris quam vita contemplatiua: ergo est melior. Antecedens patet, quia fertur ad Deum sub ratione boni, hac vero fertur sub ratione veri: sed bonum est prestantius vero.*

Resp.

*Bonum & verum in Deo nullam rationem inaequalitatis habent, nam verumq; essentialiter Deo conuenit: vita tamen eo melior dicitur qua simplicior est, adeoq; a commercio rerum caducarum liberior, qualis est hac qua in contemplatione ponitur.*

Bonum & verum in Deo aequalia sunt.

Opp.

*Contemplatio sibi solum prodest, ergo eius vita non est prestantior.*

Resp.

*Non sibi solum prodest. Nam est charus Deo, vt ait Aristot. plus ergo theoreticè viuens sapè reipubl. prodest quam politicè in luce & corona hominum. Deus enim saepe vnus pauperis oratione vincitur, cum mille cohortum manu non flectantur.*

Opp.

*Vita actiua est magis necessaria ciuitati, qua sine ea concidit: ergo est excellentior.*

Resp.

*Ratio non sequitur. Nam non de necessitate, sed de dignitate hoc loco agitur. Philosophari inquit philo-*

Vu 3 sophus

philosophus in tertio Top. est melius quam fortuna opibus abundare: homini tamen inopia presso melius est ditari si temporis necessitatem & non rei dignitatem expendaris.

**Opp. contra secundam quæst.**

Docet philosophus in textu verè beatos indigere bonis fortunæ: ergo affluentia rerum verè beatos nō impedit.

**Resp.**

Docet indigere rebus necessarijs ad vitam, victū, & cultum: affluentiam tamen potius impedimēto quàm subsidio esse affirmat.

**Opp. contra ultimam.**

Deus est in se omni sufficiens bonum: ergo absurdè videtur Arist. in textu dicere, quod si consentaneum, vè studiosis & beatis delectetur. Nam hoc est aliquantum de eius diuina maiestate detrahere.

**Resp.**

Cum dicit philosophus cōsentaneum esse, vè Deum secundum mentem & sapientiam viuentes diligit, nullam Deo necessitatem imponit: nam illum in 7. phys. omnium agentium liberissimum appellat. Sed hoc vult quod Deus, qui res humanas curat, eos maximè diligit qui simplici & pura mente eius numen maximè venerentur, non tamè coactè sed spontè, nec necessario quia aliter non potest, sed voluntario, quia aliter non velit. quin animi humani ad suum æternum & incommutabile bonum pertrahantur.

CAP.

Deus est agens liberissimum.